Alexandri Rossæi

ISAGOGE GRAMMATICA,

IN

Gratiam illorum qui nolunt memoriam multis & longis regulis gravari, concinnata.

Frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora.



LONDINI,

Typis *Guil. Du-gardi* : impensis *Jehos. Kirton,* ad insigne Equi-albi in Cœmeterio Paulino, 1648.

Alexandri Rossæi

ISAGOGE
GRAMMATICA,


IN

Gratiam illorum qui nolunt memoriam multis & longis regulis gravari, concinnata.

Frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora.



LONDINI,
Typis *Guil. Du-gardi* : impensis *Jehos. Kirton*, ad insigne Equi-albi in Cœmeterio Paulino, 1648.



Junii 20. 1648.

Imprimatur,

Jo. Langley.



Lectori Benevolo S.

Cum animadverterem quantum temporis texant, & laboris insumant pueri in ediscendis Grammaticalibus Regulis, quantúmque tenellæ ipsorum memoriæ graventur multitudine & longitudine Regularum, quibus tot annos insistentes à lectione & intellectione bonorum authorum impediuntur; operæ pretium duxi, (hortantibus etiam ad id amicis) luxuriantes Regulas amputare, & breviorem viam ad Parnassi montem proponere; quare hoc compendium, seu Isagógen Grammaticam (furatis paucis horis ab aliis meis negotiis) concinnavi, ut pueri tot mensium spacio, quot antea annorum Grammaticæ præcipuas difficultates superare valeant. Singulæ autem hæ Regulæ singulis Hexametris comprehenduntur; exceptiones verò & ex-

empla minoribus characteribus Regulis ſubjecimus. Regulas aliquot prætermiſſimus, quæ elegantiæ potiùs quàm neceſſitatis erant, quas pueri ipſi inter legendum obſervare poſſunt, cùm ad maturius judicium pervenerint; & otium nacti fuerint longiorès Grammaticorum diſcurſus perlegendi. Vale Lector benevole, & hos meos qualeſcunque conatus in puerorum commodum boni conſule.

A. R.

Isagóge Grammatica, seu brevis Introductio Grammaticalis, in usum puerorum quorum memoria non est multitudine regularum gravanda.

Genera nominum ex Significatione.

Mascula sunt [1] Divi, [2] Venti, [3] fluviique, [4] virique. Masculina.

1. Ut, hic *Jupiter*. 2. hic *Boreas*, 3. hic *Tibris*. 4. hic *Petrus*.

Nomina [1] Divarum muliebria, sic [2] mulierum. Fœminina.

1. Ut hæc *Juno*. 2. hæc *Anna*.

[1] Insulæ, item [2] Urbes, & Regionum nomina dant *hæc*. Fœminina.

1. Ut, hæc *Cyprus*, 2. hæc *Elis*. 3. hæc *Persis*. Excipiuntur tamen quædam urbium nomina; nempe, hic *Sulmo*, hic *Agragas*, hoc *Argos*, hoc *Tybur*, hoc *Præneste*, hic vel hoc *Anxur*.

Arboris est nomen muliebre: ut, fagus & ulmus. Fœminina.

Excipiuntur hic *Oleaster*, hic *Spinus*, hic *Platanon*; hoc *Acer*, hoc *Thus*, hoc *Robur*, hoc *Siler*, hic aut hoc *Suber*; hic aut hæc *Libanus*, hic *Pinus*, *Rubus*, *Cupressus*.

Epicœna.

Sunt Epicœna quibus vox unica, sexus uterque.

Ut, hic vel hæc *Aquila*, hic vel hæc *Passer*, &c.

Neutra.

Nomen in Um [1] neutrum est; [2] hominum tamen excipe nomen.

1. Ut, hoc *lignum*, 2. sed hæc *Glycerium*.

Commune duorum.

Est hic & hæc [1] sexum quicquid designat utrumque.

1. Ut, hic & hæc *Dux*, hic & hæc *parens*.

Commune trium.

Hic, hæc, hoc felix esto, licèt unica vox sit.

Dubia.

Hic aut hæc dubii generis sunt torquis & anguis.

Sed *cardo*, *margo*, *cinis*, *obex*, *pulvis*, *adeps*, &c. sunt potiùs mascula.

Genera Nominum ex Terminatione.

Finita in A.

Fœmineum dat A [1] prima, tamen dat A [2] tertia neutrum.

1. Ut, hæc *penna*, *pennæ*, hoc *thema*, *thematis*.

E.

E Latii [1] neutrum est, E Græcum [2] sit muliebre.

1. Ut, hoc *Mare*. 3. hæc *Aloë*, hæc *Lethe*.

I.

Nomen in I neutrum est: ut, gummi, nec variatur.

Sic *frugi*, *nauci*, *sinapi*, Neutra sunt, & indeclinabilia.

O.

Quicquid in O finit, mas est: ut, ternio, sermo.

[1] Do

[1] Do, [2] Go, fœminea, ac in [3] Io verbalia sunto. Do, Go, Io.

1. Ut, hæc *dulcedo*, 2. hæc *propago*, hæc *lectio*, sed *pondo* Neutrum est; *harpago*, *ordo*, *cudo*, *udo*, *cardo*, *ligo*, masculina.

[1] U, [2] C, [3] D, neutris adjungito, sicut & [4] L, [5] T. U, C. D. L. T.

1. Ut, hoc *gelu*, 2. hoc *lac*, 3. hoc *quid*, 4. hoc *tribunal*, 4. hoc *caput*.

[1] An, [2] In, [3] On, mas est, [4] En, [5] Um conjungito neutris. An, In, On, En, Um.

1. Hic *Titan*, hic *Delphin*, hic *Dæmon*, hoc *fulmen*, hoc *damnum*: Excipiuntur, hæc *syndon*, hic aut hæc *Python*; sic *ren*, *hymen*, *splen*, *lien*, & *attagen*, *pecten*, *lichen*, sunt mascula.

[1] Ar neutrum est, [2] Er mas, sic [3] Ir, sic [4] Or, sed, [5] Ur hoc est. Ar, Er, Ir, Or, Ur.

1. Hoc *jubar*: excipiuntur hæc *Lucar avis*, hæc *Baccar*, 2. hic *ager*, excipe *papaver*, *uber*, *iter*, *verber*, *cadaver*, *ver*, *spinter*, *tuber*, Neutra; & *linter*, Fœmininum. 3. Hic *vir*, excipe hoc *hir*. 4. Hic *rumor*, excipe, hæc *arbor*, & *cor*, *marmor*, *ador*, *æquor*, Neutra. 5. Hoc *murmur*, excipe, *vultur*, *turtur*, *furfur*, masculina.

[1] As hæc dat, sic [2] Es, sic [3] Is, sed mascula dant [4] Os. As, Es, Is, Os.

1. Hæc *charitas*; excipe, *vas vasis*, *fas*, *nefas*, *ceras*, neutra. Sic, *as assis*, *adamas*, *elephas*, masculina. 2. Hæc *moles*; excipe, *tudes*, *poples*, *ames*, *pes*, *aries*, *paries*, *palmes*, *limes*, *stipes*, *fomes*, *trames*, *termes*, *gurges*, *respes*, *verres*, *merges*,

ges, masculina; & *dies* Dubii generis; & *hippomanes*, *æs*, *cacoëthes*, Neutra. 3. Hæc *bilis*; excipe, *piscis*, *axis*, *glis*, *callis*, *vermis*, *acynacis*, *orbis*, *cenchris*, *vectis*, *postis*, *sanguis*, *fascis*, *fustis*, *mensis*, *collis*, *caulis*, *follis*, *cassis*, *torris*, *pollis*, *ensis*, *delphis*, *cucumis*, *vomis*. Composita ab *asse*: ut, *semis*; finita in *nis*: ut, *panis*; *lapis*, *unguis*, *aqualis*, *Aprilis*, mascula. Sic *finis*, *clunis*, *corbis*, *canalis*, *anguis*, *halcyonis*, *torquis*, *cinis*, *amnis*, *pulvis*, dubii generis. 4. Hic *ros*; excipe, *chaos*, *melos*, *os ossis*, & *os oris*, *epos*, neutra. *Arbos*, *cos*, *dos*, & Græca quæ Latini verterunt in *us*: ut, *antidotus* Fœminina.

Us. Us neutrum [1] ternæ, mas [2] quartæ, sive secundæ.

1. Hoc *corpus corporis*. 2. Hic *nimbus nimbi*, hic *census*, *ûs*, *ui*: excipiuntur, *domus*, *vannus*, *humus*, *colus*, *alvus*, *tribus*, *manus*, *porticus*, *acus*, *idus*, *pecus pecudis*, *subscus*, *palus*, *salus*, *senectus*, *juventus*, *servitus*, *virtus*, *incus*, *laus*, *fraus*, fœminina. Et *lepus*, *mus*: Græca in *pus*; ut, *tripus*, masculina. Et *carbasus*, *grossus*, *grus*, *atomus*, *lecythus*, *pharus*, *penus*, *specus*, *paradisus*, *intybus*, *Phaselus*, *pampinus*, *arcus*, *ficus*, dubii generis. Et *specus*, *penus*, *virus*, *pelagus*, *vulgus*, neutra.

Est etiam vulgus Masculini gen.

Us. Us Latium quod ab Os Græco fit, fit muliebre.

Hæc *chrystallus*, hæc *papyrus*: excipiuntur, *narcissus*, *zelus*, *typus*, *tropus*, *epilogus*, *prologus*, *crocus*, *cantharus*, *Cyathus*, *gyrus*, *Hyacinthus*, *dialogus*, masculina.

S cum Us sonante. S est fœmineum, si consona jungitur illi.

Hæc

Hæc *trabs*, hæc *plebs*, hæc *hyems*: excipiuntur, *pons*, *fons*, *mons*, *seps*, *dens*, *chalybs*, *assis partes*, ut, *sextans*, *hydrops*, *Æthiops*, masculina. *Forceps*, *adeps*, *frons*, *serpens*, *scrobs*, *rudens*, *stirps*, pro *trunco*, Dubii generis.

X [1] dabit hæc, [2] Ax, Ex, polysyllaba mascula sunto. X, Ax, Ex.

1. Hæc *nox*, hæc *lux*, hæc *pax*. 2. Polysyllaba in *ax* & *ex* sunt masculina: ut, *thorax*, *frutex*: excipiuntur, *fornax*, *similax*, *carex*, *halex*, *vibex*, *forfex*, *supellex*, fœminina. Sed *fornix*, *phœnix*, *mastix*, *varix*, *bombix*, *spadix*, *orix*; Composita ab *uncia*: ut, *deunx*, *grex*, *tryx*, *sandix*, *volvox*, *calyx*, *calix*, masculina sunt. *Cortex*, *onyx*, cum composito, *sardonyx*, *silex*, *lynx*, *imbrex*, *ramex*, *calx*, *pumex*, *obex*, *calex*, *natrix*, *limax*, dubii generis.

Anomala Declinationum.

ES patrius fit ab E recti, tum sextus in E fit. Declinatio 1.

Prima Declinatio habet genitivum singularem in *æ*, & Ablativum in *â*. Sed Nominativus in *e*, facit Genitivum in *es*, & Ablativum in *e*: ut, hæc *hebe*, Genitivo *hebes*, Ablativo *hebe*. Sic Nominativus in *es* parit. Ablat. in *e*: ut, *Anchises*, Ablat. *Anchise*.

Quartus in En solum, si primus in Es vel in E fit.

Accusativus solum in *en*, cum Nominativus est in *es*, vel *e*: ut, *Anchises*, Accus. *Anchisen*. *Circe*, Accus. *Circen*.

As

As & A Græca dabunt, ut quartus in An vel in Am fit.

Græca nomina in *as*, & in *a*, faciunt Accusativum in *an* vel *am*: ut, *Thomas*, Accusativo *Thoman* vel *Thomam*.

S recti quintus tollit de more Pelasgo.

In Vocativo Græci abjiciunt *s*: ut, *Anchises*, Vocativo ô *Anchise*. *Æneas*, Vocativo, ô *Ænea*.

Declinatio 2. Us Græcum recti facit On : Eus ea quarto.

Nominativus Græcus in *os* vel *us*, facit Accusativum in *on*: ut, *Menelaos* seu *Menelaüs*, Accus. *Menelaon*. Et *eus* in Nominativo, facit Accus. in *ea*: ut, *Perseus*, Accus. *Persea*.

Declinatio 3. Os, Us, & I fiunt Genitivi sæpe Pelasgi.

More Græco Genitivi Declin. tertiæ fiunt in *os*: ut, hic *Pan*, hujus *Panos*. Vel in *ûs*: ut, hæc *Echo*, hujus *Echûs*. Vel in *i*: ut, hic *Achilles*, hujus *Achilli*.

A dat Atis, Do, Go dat Inis, verùm O dabit Onis.

A in Nominativo, facit *atis* in Genitivo : ut, hoc *aróma*, hujus *aromatis*. Sed Nominativus in *do* & *go*, faciunt Genitivum in *inis* : ut, hæc *formido*, hujus *formidinis*; hæc *caligo*, hujus *caliginis*. At *o* in Nominativo, fit *onis* in Genitivo : ut, hic *Aquilo*, hujus *Aquilonis*.

Us patrio, reliquis O fœmina Græca requirit.

Græca Fœminina faciunt Genitivum in *ûs*, reliquos

reliquos caſus in *o* : ut, *Dido*, Genit. *Didûs*, Dat. *Dido*, &c.

Ontis, Eos, vel Ios, vel Yos, dant plurima Græca.

Græca faciunt Genitivum in *ontis* : ut, *Charon*, hujus *Charontis*. Vel in *eos* : ut, *Metamorphoſis*, hujus *Metamorphoſeos*. Vel in *ios* : ut, *ſinapi*, hujus *ſinapios*. Vel in *yos* : ut, *Tethys*, *Tethyos*.

Pus dat Odis, formant Græci loca propria in Untis.

Sic, *Oedipus*, hujus *Oedipodis*. Sic *Opus*, hujus *Opuntis*.

A quarto caſu creſcentis ponit Achivus.

Græci formant Accuſativum in *a*, nominum creſcentium : ut, *Pan*, Accuſ. *Pana*. *Delphin*, Accuſ. *Delphina*.

Sic Græcus quartum facit In, ſi rectus in Is ſit.

Græca in *is*, faciunt Accuſat. in *in* : ut, *Poëſis*, hanc *Poëſin*.

Patrius ad morem Græcum Pluralis in On fit.

Genitivus Pluralis Græcus fit in *on* : ut, *Epigramma*, Genitivo Plur. *Epigrammaton*.

A quarto numeri primi, pluraliter As fit.

Quorum Accuſativus Singularis definit in *a*, Accuſativus Pluralis fit in *as* : ut, hanc *lampada*, has *lampadas* vel *lampades*. *Cratera*, hos *crateras*.

Quarta

Declinatio 4. Quarta dat Us recto; dat & U quod non variatur.

Terminationes quartæ declinat. sunt *us* & *u*; sed Singularia in *u* non declinantur: ut, *cornu*, *genu*.

Declinatio 5. Quinta dat Ei patrio; dedit E; dedit I geminatum.

Genitivus olim quintæ desinebat in *e*: ut, *dies*, Genitivo *die*. Sic *Virgil.*

Libra die somnique pares ubi fecerat horas.

Sic desinebat etiam in duplex *ii*: ut, *dii* pro *diei*, *Virg.* ——*Munera*

Lætitiámque dii,—— id est, *diei.*

Heteroclita.

Variantia. PLurali neutrum est hæc Pergamus, hæcque supellex.

Pergamus & *supellex*, in singulari Fœminini generis, in plurali Neutrius sunt.

Quatuor in primo sunt neutra, sed ambo secundo.

Rastrum, *frænum*, *filum*, *capistrum*, sunt in numero singulari neutra: in plurali, masculina & neutra: ut, hi *rastri*, vel hæc *rastra*, &c.

Mascula plurali tria sunt, sed neutra priore.

Cœlum, *Elysium*, *Argos*, sunt Masculini generis in plurali: ut, hi *cœli*, sed Neutra in singulari.

Quatuor Um primo, muliebria pone secundo. *Epulum*,

Epulum, delicium, balneum, nundinum. Pluraliter, hæ *epulæ, deliciæ, balneæ, nundinæ.*

Mascula multa leges primo, sed neutra secundo.

Talia sunt, *Dindymus, Ismarus, Mænalus, Tartarus, Taÿgetus, Massicus, Avernus, sibilus, Pangæus, Tænarus, Carbasus, locus* & *jocus.*

Barbara, nec numeros, nec in I, nec in U variabis. Defectiva.

Nomina Hebræa: ut, *Adam*; numeri cardinales à tribus ad centum: desinentia in *i* & *u*: ut, *gummi, cornu,* non declinantur. Aptôta.

Unum habet inficias casum; jussu atque rogatu. Monoptôta.

Sic *noctu, natu, astu, promptu, permissu, injussu.*

Macte duos, sic fors, plus, spontis, Jupiter, exspes. Diptôta.

Hæc duos casus habent; *Macte* in Voc. sing. *macti* in plurali, *Fors* in Gen. *fortis, plus pluris, spontis* Ablat. *sponte. Jupiter,* Voc. ô *Jupiter,* sic *exspes,* ô *exspes, repetundarum repetundis, impetis, verberis,* Ablat. *impete, verbere. Inferiæ, suppetiæ,* Accus. plur. *inferias, suppetias.*

Fas, opis, atque precis, tres casus jure requirunt. Triptôta.

Opis, opem, ope dicimus, sic *precis, precem, prece.*

Quis vocitante caret, Pronomina, quilibet, omnis.

Interrogativa *quis* & *qualis.* Distributiva: ut, *quisque, omnis.* Infinita: ut, *aliquis, siquis.* Negativa:

gativa: ut, *nemo*, *nullus*, *neuter*. Relativa: ut, *qui*, *talis*. Et Pronomina carent Vocativo, exceptis *noster*, *nostras*, *meus* & *tu*.

Propria pluralem spernunt, herbæ, uda, metalla.

Propria nomina: ut, *Petrus*. Herbæ: ut, *apium*. Uda: ut, *sebum*. Metalla: ut, *aurum*. Sic frumenta: ut, *triticum*: aliquando tamen reperiuntur in plurali.

Sic fimus, sanguis, pix, fel, pus, gloria, viscum.

Hæc etiam carent plurali; sic, *mundus*, *muscus*, *pontus*, *sopor*, *pulvis*, *fama*, *lues*, *pax*, *salus*, *ros*, *vita*, *mors*, *tussis*, *proles*, *tabes*, *labes*, *sitis*, *humus*, *lux*, *plebs*, *bilis*, *cœnum*, *ver*, *vulgus*, *sal*, *virus*, *gelu*, & quædam alia.

Manes, majores, numero caruere priore.

Hæc mascula carent singulari: sic, *cancelli*, *liberi*, *Antes*, *menses muliebres*, *lemures*, *fasti*, *minores*, *natales*, *penates*: & quædam locorum nomina: ut, *Gabii*.

Sic phaleræ, latebræ muliebria; sicque Calendæ.

Hæc Fœminina carent singulari: sic, *exuviæ*, *manubiæ*, *antiæ*, *induciæ*, *insidiæ*, *minæ*, *excubiæ*, *Calendæ*, *Nonæ*, *Idus*, *nugæ*, *tricæ*, *thermæ*, *cunæ*, *diræ*, *plagæ*, &c.

Sic neutra hæc; castra, & bellaria, mœnia, tesqua.

Hæc Neutra carent singulari: sic, *arma*, *rostra*, *exta*, *cunabula*, *effata*. Et deorum festa: ut, *Bacchanalia*, &c.

Sensus

Sensus & hoc sensum, clypeus clypeúmq; redundant. Redundantia.

Hæc abundant Genere & Terminatione: sic, *baculus* & *baculum*, *tonitrus* & *tonitru*, *tignus* & *tignum*, *punctus* & *punctum*, *sinus* & *sinum*, *cornu* & *cornum*, cum multis aliis.

Est laurus flexûs quarti simul atque secundi.

Laurus, *quercus*, *pinus*, *ficus* arbor, *cornus* arbor, *colus*, *penus*, *lacus*, *domus*, sunt secundæ & quartæ Declinationis.

Us vel Is orta jugum, limus, cera, arma requirunt.

Composita ab his, habent *us* & *is* in Nominativo: ut, *bijugus* & *bijugis*, à *jugo*; *illimus* & *illimis*, à *limo*; *sincerus* & *sinceris*, à *cerâ*; *inermus* & *inermis*, ab *armis*; sic, *imbecillis* & *imbecillus*, à *bacillo*; sic composita à *somno*, *norma*, *clivo*, *nervo*, *animo*, *fræno*, *&c.* Vel potiùs bijugi & biiuges, plúrali.

De Verbis.

QUamvìs As avi faciat; tamen excipe lavi. Conjugatio 1.

Verba primæ Conjugationis faciunt Præteritum in *avi*, ab *as*, secunda persona Præs. tollendo *s*. Excipiuntur, *lavo lavi*, *juvo juvi*, *nexo nexui*, *seco secui*, *neco necui*, *mico micui*, *plico plicui*, *frico fricui*: sic, *domo*, *tono*, *sono*, *crepo*, *veto*, *cubo* formant Præt. in *ui*.

Præteritum per Ui facit Es: tamen excipe jussi. Conjugatio 2.

Excipiuntur,

Excipiuntur *jubeo jussi*, *sorbeo sorpsi*, *mulceo mulsi*, *luceo luxi*, *sedeo sedi*, *video vidi*, *prandeo prandi*, *strideo stridi*: sic *suadeo*, *rideo*, *ardeo*, faciunt Præteritum in *si*.

Spondeo cum mordet geminat, sic tondeo primam.

Spondeo in Præt. *spospondi*, *mordeo momordi*, *tondeo totondi*, sic *pendeo pependi*.

L vel R ante Geo si stet, Geo vertitur in Si.

Sic, *urgeo* facit *ursi*, *indulgeo indulsi*, *mulgeo mulsi*, & *mulxi*. Sed *frigeo*, *lugeo*, *augeo*, faciunt Præter. in *xi*.

Vi dant fiet, net, plet, fervet, nivétque, ciétque.

Fleo facit *flevi*, *neo nevi*, *pleo plevi*, sic *leo levi*, cum composito: sic, *ferveo*, *niveo*, & *conniveo*, & *cieo*, & *vieo*, formant Præter. in *vi*. Sed *maneo*, *torqueo*, *hæreo*, in *si*.

Conjugatio 3. Bo.

Bo Bi fit: lambo lambi; scribo excipe scripsi.

Verba in *bo* faciunt Præt. in *bi*: sed *scribo* & *nubo* in *si*: *cumbo* facit *cubui*.

Co.

Co fit Ci: ut, vinco vici; duco excipe duxi.

Duco & *dico* faciunt Præt. in *xi*: *parco*, *peperci*, & *parsi*.

Do.

Do fit Di: ut, mando mandi; ludo excipe lusi.

Ludo, *vado*, *rado*, *lædo*, *divido*, *trudo*, *claudo*, *plaudo*,

do, rodo, Præter. faciunt in *si*. Sed *scindo, findo, fundo*, abjiciunt *n* in Præt. *tendo* dat *tetendi*, *pedo pepedi*, *cado cecidi*, *cædo* pro verbero, *cecîdi*, pro *discedo cessi*.

Go fit Xi: ut, jungo junxi; sed R ante Go vult Si. Go.

Sic, *spargo sparsi*, *mergo mersi*. Sed *ago, lego, frango*, faciunt *gi*. *Tango tetigi, pungo punxi*, & *pupugi*: *pango* pro *paciscor*, dat *pepigi*, pro *jungo, pegi*, pro *cano, panxi*.

Ho Xi fit: sed Ui dat Lo; tamen excipe fallo. Ho. Lo.

Verba in *ho*, faciunt Præter. in *xi*: ut, *traho traxi*. Verba in *lo* dant *ui* in Præt. ut, *colo colui*, *fallo* tamen facit *fefelli*: *psallo* & *sallo salli*, *vello velli* & *vulsi*, *cello cecūli*, *pello pepuli*.

Mo fit Ui, promo, premo, demo, Si, sibi poscunt. Mo.

Verba in *mo* faciunt Præt. in *ui*: ut, *vomo vomui*, sed *emo* facit *emi*; *promo prompsi*, *premo pressi*, *demo dempsi*, *como compsi*, *sumo sumpsi*.

No Vi fit: sino ceu sivi; temno excipe tempsi. No.

Sic, *sterno* facit Præt. *stravi*, *sperno sprevi*, *lino levi, lini*, & *livi*, *cerno crevi*, *gigno, pono, cano, genui, posui, cecini*.

Po fit Psi: ut, scalpo scalpsi; rumpo excipe rupi. Po.

Sic *strepo* facit *strepui*, & *crepo crepui*.

Quo fit qui; ut, linquo liqui; coquo demito coxi. Quo.

Ro. Ro Vi fit: ſero ſeu ſevi; verro excipe verri.

Sero pro *planto*, *ſevi* habet, pro *ordino*, *ſerui*; *verro* habet *verri*, & *verſi*, *uro uſſi*, *gero geſſi*, *quæro quæſivi*, *tero trivi*, *curro cucurri*.

So. So Vi fit: tollas cum viſo, capeſſo, faceſſo.

So facit *vi*: ut, *laceſſo laceſſivi*. Sed *viſo* facit *viſi*, *capeſſo capeſſi*, & *capeſſivi*; *faceſſo faceſſi*, *pinſo pinſui*.

Sco. Sco Vi fit: poſco demas cum diſco, quiniſco.

Paſco dat *pavi*: ſed *poſco popoſci*, *diſco didici*, *quiniſco quexi*.

To. To Ti fit: mitto, peto, ſterto, atque excipe flecto.

Verto dat *verti*, *ſiſto ſtiti*: ſed *mitto miſi*, *peto petii*, ſeu *petivi*, *ſterto ſtertui*, *meto meſſui*, *flecto flexi*, *pecto pexui* & *pexi*, *necto nexui* et *nexi*.

Vo. Vo fit Vi: ut, volvo volvi: vivo excipe vixi.

Xo. Nexuit, ut nexo; ſic texuit adjice texo.

Cio. Fit Cio Ci: lexi & ſpexi tamen excipiuntur.

Verba in *cio* faciunt *ci*: ut, *facio feci*, ſed *lacio lexi*, *ſpecio ſpexi* habent in Præt.

Dio, Gio, Pio. Fit Dio Di, Gio Gi, Pio Pi: cupit excipe Pivi.

Fodio facit *fodi*, *fugio fugi*, *capio cepi*. Sed *cu-*

pio

pio habet *cupivi*, *rapio rapui*, *sapio sapui* & *sapivi*.

Fit [1] Rio Ri, [2] Tio Ssi; sed [3] Uo fit Ui tibi sæpe. Rio, Tio, Uo.

1. *Pario* facit *peperi*: 2. *quatio quassi*: 3. *statuo statui*: sed *pluo plui*, *struo struxi*, *fluo fluxi*.

Quarta dat Is Ivi; sed fartio, sartio dant Si. Conjugatio 4.

Verba quartæ faciunt Præter. in *ivi*: ut, *scio scivi*: sed *fartio*, *sartio*, *cambio*, *raucio*, *sepio*, *sensio*, *fulcio*, *haurio*, faciunt *si*. At *venio veni*, *sancio sanxi*, *vincio vinxi*, *salio salui*, *amicio amicui*.

Compositorum Præterita.

PRæteritum dat idem simplex & compositivum.

Ut, *doceo docui*, sic *edoceo edocui*.

Quod simplex geminat, compostum non geminabit.

Syllaba prima Præteriti, non semper geminatur in composito; geminatur tamen in *præcurro*, *excurro*, *repungo*. Et in compositis à *do*, *disco*, *sto*, *posco*: ut, *reddidi*, *didici*, *restiti*, *poposci*.

A plico compositum gaudet formare plicavi.

Ut, *supplico supplicavi*: sed *applico*, *complico*, *replico*, *explico*, faciunt etiam Præt. in *ui*.

Vult olui simplex: compôstum poscit olevi.

Oleo facit *olui*, sic *redoleo*, & *suboleo*; sed reliqua composita faciunt *olevi*.

Composita à pungo, formabunt omnia punxi.

Repungo tamen habet etiam *repupugi*.

Dant compôsta Didi de Do; sed sto stitit infert.

Composita à *do*: ut, *addo*, *credo*, *edo*, *dedo*, *reddo*, *perdo*, *abdo*, *obdo*, *condo*, *indo*, *trado*, *prodo*, *vendo*, faciunt Præt. in *didi*: at *abscondo* habet *abscondi*. Composita à *sto*, faciunt *stiti*.

Mutantia primam Vocalem in E.

A Simplex in composito plerunque per E fit.

Ut, à *damno* fit *condemno*; sic, *lacto*, *sacro*, *fallo*, *arceo*, *tracto*, *fatiscor*, *partio*, *carpo*, *patro*, *scando*, *spargo*, *pario*, cujus duo composita faciunt *comperi* & *reperi* in Præt. sed *aperio*, *operio*, & reliqua faciunt *ii*. *Compesco*, *dispesco*, à *pasco*, faciunt Præt. in *pescui*; sed reliqua: ut, *epasco*, formantur ut simplex in *avi*.

Mutantia primam Vocalem in I.

Simplicis A si componas dabit I tibi sæpe.

Ut, *habeo* facit *inhibeo*; sic composita à *lateo*, *salio*, *statuo*, *cado*, *lædo*, *pango*, *cano*, *quæro*, *cædo*, *tango*, *ego*,

egeo, teneo, taceo, sapio, rapio, placeo; sed *perplaceo*, & *complaceo*, retinent *a*. Sic, *depango, oppango, circumpango, repango*, à *pango*. Sic à *maneo*, *pramineo, emineo, promineo*, & *immineo*, mutant *a* in *i*. *Exculco, inculco, resulto*, à *stalpo, calco, salto*, mutant *a* in *u*. *Excludo*, à *claudo*; *excutio*, à *quatio*; *proluo* à *lavo*.

Præteritum, servat quam præsens, litera mutat.

In Præsenti *a* mutatur in *i*: ut, *frango refringo*; sed manet eadem litera simplicis & compositi in Præter. ut, *fregi refregi*; eadem est ratio in verbis *ago, emo, sedeo, &c.* Sed *a* manet in Præsenti, *perago* et *satago*: At in *dego, cogo, surgo, pergo, rego*, media syllaba deficit. *Olfacio* et *calfacio* nil variant; sed si præcedat Præpositio, mutatur *a* in *i*: ut, *facio, inficio*. Sic cum *re, se, per, præ, sub, trans*, præcedunt *lego*, manet *e*; sed mutatur in *i*: in *diligo, negligo, intelligo*.

A lego sunt tria quæ lexi dant; cætera legi.

Intellexi, neglexi, dilexi dicimus, sed *perlegi, relegi, &c.*

De simplicium Verborum Supinis.

BI, Ci, Præteritis, formant Tum ritè Supinis. Bi. Ci.

Sic, *bibi* facit *bibitum, vici victum, ici ictum, jeci jactum.*

[1] Di, [2] Li. Sum formant; sed [3] Gi, Tum; sic lego lectum. Di.Li. Gi.

1. Præteritum *di* facit *sum* in Supino: ut, *vidi visum, pandi passum*; *sedi sessum, scidi scissum, fidi fissum, fodi fossum, totondi tonsum, cecìdi cæsum, cecìdi casum, tetendi tensum, tutudi tunsum*; sed *pepedi* habet *peditum*; et *dedi datum*. 2. *Li* etiam facit *sum*: ut, *salli salsum, pepuli pulsum, ceculi culsum, fefelli falsum, velli vulsum*; sed *tuli* habet *latum*. 3. At *gi* in Præterito, facit *tum* in Supino: ut, *lectum, plectum, fractum, tactum*; à *legi, pepigi, fregi, tetigi*; sic *actum, punctum, fugitum*, ab *egi, pupugi, fregi*.

Mi, ni, Pi, Qui, Ri, Si. [1] Mi, Ni, Pi, Qui, Tum; [2] Ri Sum; sic [3] Si quoque Sum fit.

1. Sic, *emi emptum, veni ventum, cepi captum, liqui lictum*. 2. Sed *ri* fit *sum*: ut, *verri versum*; sed *peperi* habet *partum*. 3. *Si* fit *sum*: ut, *visi visum, misi missum*; sed *fulsi* habet *fultum, hausi haustum, sarsi sartum, farsi fartum, ussi ustum, gessi gestum, torsi tortum, indulsi indultum*.

Psi, Ti, Vi. Præterita in [1] Psi, [2] Ti, [3] Vi Tum fecere Supinis.

1. Sic, *scripsi* facit *scriptum*; sed *campsi campsum*. 2. *Steti* et *stiti* faciunt *statum*; sed *verti versum*. 3. *Flavi* facit *flatum, lavi lotum* et *lavatum, potavi potum, favi fautum, cavi cautum, sevi satum, livi litum, solvi solutum, volvi volutum, singultivi singultum, sepelivi sepultum, pavi pastum, venivi venum*.

Ui. [1] Quod dat Ui dat Itum: [2] sed Uo formabit in Utum.

1. *Domui* facit *domitum*. 2. Sed *exuo* habet *exutum*;

exutum; excipe, *rui ruitum*, *secui sectum*, *necui nectum*, *fricui frictum*, *miscui mistum*, *amicui amictum*, *torrui tostum*, *docui doctum*, *tenui tentum*, *consului consultum*, *alui altum* et *alitum*, *salui saltum*, *colui cultum*, *pinsui pistum*, *rapui raptum*, *serui sertum*, *texui textum*, *censui censum*, *cellui celsum*, *messui messum*, *nexui nexum*, *pexui pexum*, *patui passum*, *carui cassum*, et *caritum*.

[1] Xi Xum fit vel [2] Tum: [3] sed quædam rejiciunt N. Xi.

1. *Flexi*, *plexi*, *fixi*, *fluxi*, faciunt Supinum in *Xum*. 2. *vinxi* habet *vinctum*. 3. *Finxi*, *minxi*, *pinxi*, *strinxi*, *rinxi*, sine *n*, faciunt *fictum*, *mictum*, &c.

Compositorum Verborum Supina.

COmpositum ut simplex formatur quodque Supinum.

Sic, *docui doctum*, *edocui edoctum*; sed composita à *tunsum* habent *tusum*; et à *ruitum*, *rutum*; et à *saltum*, *sultum*; à *satum*, *situm*. *Captum*, *factum*, *jactum*, *raptum*, *cantum*, *partum*, *sparsum*, *carptum*, *fartum*, mutant *a* in *e*: ut, à *captum*, *perceptum*, &c. *Estum* facit *esum* in composito ab *edo*, *comedo* etiam habet *comestum*; à *nosco* fit *notum* in compositis etiam; excipe tamen *cognitum* et *agnitum*.

Præterita Verborum in Or.

PRæteritum variæ formant quot in Or ab O fiunt.

Sic, à *legor* fit *lectus sum*; à *labor lapsus*, *patior passus*, *perpetior perpessus*, *fateor fassus*, *confiteor confessus*, *gradior gressus*, *digredior*, *digressus*, *fatiscor fassus*, *metior mensus*, *utor usus*, *ordior orditus* et *orsus*, *nitor nisus* et *nixus*, *ulciscor ultus*, *irascor iratus*, *reor ratus*, *obliviscor oblitus*, *fruor fructus* et *fruitus*, *miserior misertus*, *tueor tuitus*, *loquor loquutus*, *sequor secutus*, *experior expertus*, *paciscor pactus*, *nanciscor nactus*, *adipiscor adeptus*, *queror questus*, *proficiscor profectus*, *expergiscor experectus*, *comminiscor commentus*, *nascor natus*, *morior mortuus*, *orior ortus*.

Neutro-Paßivorum Præterita.

QUædam Præteritum Passivum Neutra requirunt.

Sic *gaudeo* habet *gavisus sum*, *fido fisus*, *audeo ausus*, *fio factus*, *soleo solitus*, *mœreo mœstus*.

Præteritum geminum habentia.

Præterito Activo & Passivo plurima gaudent.

Sic *cœno* habet *cœnavi* et *cœnatus sum*; sic *juro*, *peto*, *titubo*, *prandeo*, *pateo*, *placeo*, *suesco*, *careo carui* et *cassus sum*, *veneo venivi* & *venditus*, *nubo nupsi* et *nupta sum*; sic *mereor*, sic *libet libuit* et *libitum est*; sic *licet*, *tædet*, *pudet* et *piget* quod dat *piguit*, et *pigitum est*.

Verba Præteritum mutuantia.

PRæteritum verbis in Sco primaria donant.

Inceptiva in *sco* mutuantur Præteritum à verbo primario:

primario: ut, *tepesco* habet *tepui*, à *tepeo*; *fervesco fervi*, *quatio concussi*, *ferio percussi*, *meio minxi*, *sido sedi*, *tollo sustuli*, *sum fui*, *fero tuli*, *sisto stiti*, *furo insanivi*.

Præterito vescor caret, & caret indè Supino. Præterito carentia,

Sic *liquor*, *medeor*, *reminiscor*, carent Præt. & Supinis.

Aio Præterito caret & meditantia verba.

Incœptiva: ut, *putrasco*; Desiderativa: ut, *micturio*, carent Præterito; *parturivi* tamen et *esurivi* dicimus. Sic *vergo*, *ambigo*, *glisco*, *fatisco*, *polleo*, *nideo*, *metuo*, *timeo*, carent Præterito.

Carentia Supinis.

PLurima rejiciunt: ut, lambo & rudo Supina.

Sic *mico*, *scabo*, *parco*, *dispesco*, *posco*, *disco*, *compesco*, *quinisco*, *dego*, *ango*, *sugo*, *lingo*, *ningo*, *satago*, *psallo*, *volo*, *nolo*, *malo*, *tremo*, *strideo strido*, *flaveo*, *liveo*, *aveo*, *paveo*, *conniveo*, *ferveo*, *respuo*, *linquo*, *luo*, *cluo*, *metuo*, *frigeo*, *calvo*, *sterto*, *timeo*, *luceo*, *arceo*; et composita à *nuo* et *cado*: ut, *renuo*, *incido*; *occido* tamen habet *occasum*, et *recido recasum*; et composita ab *arceo* habent *ercitum*; sic composita à *gruo*: ut, *ingruo* carent Supinis; et neutra secundæ conjugationis quæ faciunt *ui* in Præt. ut, *nigreo nigrui*, et *oleo*, *doleo*, *placeo*, *taceo*, *pareo*, *careo*, *noceo*, *pateo*, *lateo*, *valeo* et *caleo* quæ habent Supina.

Defectiva.

Defectiva.

INsit, ave, salve, sit, Defectiva vocantur.

Insit, pluraliter *insiunt*; nec plura habet. *Salve salveto*, pluraliter, *salvete salvetote*, in Indic. *salvebis*, Infinitivo *salvere*. *Ave aveto*, plural. *avete avetote*, Infinit. *avere*. *Fit* à *fio*, in Præt. *factus sum*; sic *aio*, *ais*, *ait*, plur. *aiunt*; *ausim*, *ausis*, *ausit*, plur. *ausint*. Imperat. *cedo*, plur. *cedite*; *faxo*, vel *faxim*, *faxis*, *faxit*, plur. *faxint*; *forem*, *fores*, *foret*, plur. *forent*, Infinit. *fore*; *quæso*, plur. *quæsumus*; *inquam* vel *inquio*, *inquis*, *inquit*, plur. *inquimus*, *inquiunt*. &c.

Præteritum & Præsens signant Odi, meminíque.

Sic *cœpi*, *novi*, *pepigi*, sub voce Præteriti, significant etiam Præsens & Imperfectum. Sunt etiam alia anomala verba: ut, *Impersonalia*, de quibus consule rudimenta.

Syntaxis.

1. Concordantia nominativi & verbi

NOminativus & verbum personale sunt ejusdem numeri & personæ: Ut, *ego disco*, *tu ludis*, *Petrus flet*.

2. Substantivi & adjectivi.

Substantivum & Adjectivum sunt ejusdem generis, numeri, & casûs: ut, *niger cygnus*, *rava avis*, *caput pilosum*.

3. Relativi & antecedentis.

Relativum & antecedens, sunt ejusdem generis, numeri, & personæ. Relativa

tiva sunt, qui, quæ, quod: ut, *vir qui, mulier quæ, animal quod*; his junge, *hic, iste, ille, ipse, is* & *idem*.

Relativum inter duo substantiva positum, cum alterutro convenit: ut, *Est stella quæ Phaëton dicitur; est locus quod Tullianum appellatur*. 4. Relativi cum duobus substantivis.

Interrogatio & responsio in casu consentiunt: ut, *Cui servis? Deo. Cujus liber est? Petri. Quem diligis? parentem. Quo morbo laboras? Febre.* Sed cum Interrogatio fit per *quanti*, non concordat cum responsione: ut, *quanti emisti librum? tribus solidis*. 5. Interrogativi & responsivi.

Conjunctiva similes casus & modos habent: ut, *Petrus & Paulus prædicant. Hic liber est meus & tuus*; sed cùm diversa est syntaxis, fallit regula: ut, *Hic est liber meus & Petri*. 6. Conjunctivorum.

Est & esse habent similes casus: ut, *Deus est bonus; dicunt te esse doctum*. 7. Est & esse.

Substantiva apposita explicationis caussâ conveniunt in casu: ut, *Opes sunt irritamenta malorum*, *in urbe Româ Petrus crucifixus est*. 8. Appositio.

Cum duo substantiva diversa significant, unum ponitur in genitivo: ut, *Liber Petri, lumen candelæ*. 9 Duorum substantivorum.

Verba activa regunt accusativum: ut, *Amo Deum, scribo literas*. 10. Activorum regentium accusativum.

Verba

11. Regentium genitivum.

Verba accuſandi, abſolvendi, & damnandi, cum accuſativo habent genitivum: ut, *Accuſat me furti. abſolutus eſt furti. condemnat me ſceleris.* Hic genitivus tamen ſæpe in ablativum vertitur: ut, *Condemnare aliquem crimine, vel de crimine plectere capite, peccato abſolvere.*

12. Genitivi tanti, &c.

Verba emendi, vendendi, locandi, regunt genitivos, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quanticunque, ut, *Quanti venit triticum? pluris conſtat,* &c. Sed hi genitivi fiunt ablativi cum additur ſubſtantivum: ut, *minori pretio emitur.*

13. Verborum æſtimandi.

Verba æſtimandi: ut, ſum, duco, pendo, facio, æſtimo, genitivos habent, magni, parvi, minoris, &c. ut, *Magni mihi es, parvi pendo, magni facio te. Flocci, hujus, nihili, pili, nauci.*

14. Monendi.

Verba monendi genitivum habent cum accuſativo: ut, *Admoneo, commoneo te tui officii.*

15. Dandi reddendi, &c.

Verba dandi, reddendi, promittendi, explicandi, jungendi, comparandi, præferendi, poſtponendi, auferendi, requirunt dativum cum accuſativo; ut, *Do tibi pecuniam, redde mihi librum, promitto tibi meam operam* &c.

16. Compoſita, ex, præ, ſub, ad, in, ob, præ, con, inter.

Verba compoſita cum præpoſitionibus, ad, in, ob, præ, ſub, dativum cum

accuſativo

accuſativo exigunt : ut, *Amicis adſum, adimo hoſtibus arma*, &c. Sic compoſita à *con*, ſeu *inter*, *conducit laudi*, *interfuit concioni*. Sed *interdico* habet accuſativum vel ablativum : ut, *Interdicere fœminis purpuram*; *interdicere Romanis Galliâ, aquâ & igne*.

Verba docendi, rogandi, celandi, geminum requirunt accuſativum : ut, *Docebo te lectionem, oro te hanc veniam : me hoc celavit pater*. 17. Docendi & rogandi.

Verba veſtiendi, implendi, onerandi, liberandi, & his contraria, ablativum cum accuſativo adſciſcunt : ut, *Veſtivit me tunicâ, cinxit me zonâ, urbem mœnibus ; implevit dolium vino, onerat me mendaciis*, &c. 18. Veſtiendi, implendi, &c.

Aſſpergo, impertio, intercludo, dono cum accuſativo regunt dativum vel ablativum : ut, *Aſſperſit me aquâ ; Parmenonem Gnatho impertit ſalute ; interclusit me omni commeatu ; civitate donavit*. 19. Aſſpergo, &c.

Verba petendi, capiendi, removendi, auferendi, & coërcendi, accuſativum habent & ablativum cum *a* vel *ab* : ut, *Id à te peto, flagito, poſtulo, accipe hoc à me*, &c. 20. Petendi, capiendi, &c.

Cognoſco, ſcio, intelligo, diſco, ablativum habent cum ex : ſic quæro, avello, conjicio : ut, *Cognovi ex tabellario, ſcio ex te, didici ex præceptore, quæram ex eo*, &c. 21.

Verba paſſiva regunt nominativum ante 22. Verba paſſiva.

antè ablativum pòst, cum præpositione à vel *ab* : ut, *Virgilius legitur à me* : sic *vapulo, fio, væneo, liceo, exulo.*

23\. Laus & vituperium ponuntur in genitivo vel ablativo : ut, *Vir est magni animi vel magno animo.*

Opus & usus. Opus & usus ablativum exigunt : ut, *Opus est autoritate tuâ. Non est mihi usus pecuniâ.*

24\. Adjectiva verbalia. Adjectiva verbalia quæ activè significant : ut, Amans, appetens, doctus, copiosus, ferax, dubius, avarus, studiosus, parcus, &c. regunt genitivum : ut, *Amans vini, appetens laudis, doctus pilæ, cupidus gloriæ, ferax graminis,* &c.

25\. Commodi incommodi, &c. Verba commodi, incommodi, similitudinis, dissimilitudinis, &c. in dativum transeunt : ut, *Felix tuis. Inimicus quieti, finitimus mibi, niger albo contrarius, utilis agro.*

26\. Partitiva numeralia, &c. [1] Partitivum aut partitivè positum : ut, quisque, aliquis, uter. [2] Numeralia, ut, unus, primus. [3] Gradus comparationis. [4] Signa : ut, omnis, nullus, nemo, neuter, genitivum habent : ut, 1. *Quisque horum.* 2. *Primus omnium.* 3. *Pauci hominum. Fortior manuum. Doctissimus Poëtarum.* 4. *Omnibus animalium.*

27\. Verba & adjectiva abundandi, &c. Verba abundandi, onerandi, implendi, carendi, & his similia, regunt genitivum vel ablativum : ut, *Abundat nummis,*

plenus

plenus rimarum vel *rimis*. *Onustus tritici* vel *tritico*. *Indignus opis* vel *ope*. *Sanus mentis* vel *mente*. *Liber legum* vel *lege*.

Satago, misereor, misereſco, frequentiùs genitivum habent, dominor & auxilior dativum: ut, *Miseret me tui. Satago mearum rerum. Misereſco regis. Dominatur orbi, auxilior tibi.* 28. Satago, misereor, &c.

Recordor, memini, memoror, obliviſcor, genitivum & accuſativum regunt: ut, *Memini tui, recordor, oblitus ſum mei.* 29. Verba recordandi.

Eſt, refert, & intereſt cum ſignant officium, aut commodum regunt genitivum: ut, *Eſt adoleſcentis, magni refert, per magni intereſt.* Sed regunt ablativos, *meâ, tuâ, ſuâ, noſtrâ, veſtrâ, cujâ*; dicimus etiam, *meum eſt, tuum eſt, ad laudem intereſt.* 30. Eſt, refert, intereſt.

Pœnitet, tædet, miſeret, pudet, & piget, regunt genitivum cum accuſativo: ut, *Pœnitet me peccati, tædet me vitæ, miſeret me tui, pudet probri, piget me laboris.* 31. Pœnitet, tædet, miſeret, &c.

Propria urbium primæ vel ſecundæ declinationis, cum his appellativis, militiæ, belli, domi, humi, terræ & togæ; cùm quæſtio ſit per ubi, ponuntur in genitivo: ut, *ubi habitat? Romæ, Londini.* Sed ſi nomen ſit tertiæ declinationis, aut pluralis numeri: ut, *Habitat Athenis, natus eſt Carthagine*, ponitur in ablativo, & quandoque in dativo. Sic *rus*. 32. Propria locorum.

Sed

33. Proprium locorum in accusat. & ablat. Sed si quæstio sit per *quò*, *unde* aut *quâ*, proprium loci ponitur in accusativo & ablativo: ut, *Quò vadis? Romam. Unde venis? Româ. Quâ itur Romam? Lugduno.* Sic *corus. Eo domum. Venio rure, domo.*

34. Est pro habet. Est pro *habet* regit dativum: ut, *Est mihi liber. Est mihi pater.*

35. Verba parcendi, &c. Verba parcendi, parendi, gratulandi, præsidendi, nocendi, adulandi, medendi, studendi, favendi, regunt dativum: ut, *Parce nato. Pareto regi. Gratulor tibi. Præsidet urbi*, &c.

36. Verba infinitivi modi. Verba personalia infinitivi modi ante se regunt accusativum: ut, *Christum mortuum esse credimus.*

37. Dativum regentia. Omne verbum regit dativum ejus rei cui aliquid acquiritur: ut, *Bos arat terram nobis; mihi seritur ager.*

38. Participia, gerundia, &c. Participia, gerundia, & supina, regunt casus verborum à quibus derivantur: ut, *Audiens auditurus præceptorem. Teneor desiderio audiendi. Et eo auditum præceptorem.*

39. Impersonalia. Delectat, decet, juvat, oportet, post se habent accusativum; ut, *Delectat me studere. Decet te patrem honorare*, &c.

40. Nomina temporis. Nomina temporis ponuntur in accusativo, vel ablativo cum quæstio fit per quamdiu, & quamdudum; ut, *Quamdiu vixit*

vixit Chriſtus? triginta annis vel annos. Quamdudum reſurrexit? mille ſexcentos annos ab hinc, vel annis.

Verba eundi & diſtandi regunt accuſativum vel ablativum diſtantiæ & ſpatii: ut, *Petrus ambulavit ſex millia vel millibus. Cœlum patet tres ulnas.* 41. Verba eundi & diſtandi.

Fungor, veſcor, fruor, utor, & ſimilia, regunt ablativum; ut, *Fungor officio. Veſcor carne. Fruor valetudine.* 42. Fungor, veſcor, fruor.

Inſtrumentum, cauſſa, & modus actionis, ponuntur in ablativo ſine præpoſitione: ut, *Secat enſe. Pallet amore. Cantat ſubmiſſâ voce.* 43. Inſtrumentum cauſſa &c.

Verbum vel adjectivum regit nomen menſuræ in accuſativo vel ablativo: ut, *Area ſeptem pedes vel pedibus lata.* 44. Nomen menſuræ.

Vox exceſsûs regit ablativum: ut, *Sum te doctior multó. Hæc arbor procerior illâ tribus digitis.* 45. Vox exceſſûs.

Adverbia En & Ecce junguntur nominativo aut accuſativo: ut, *En Priamus. Ecce alterum. En quatuor aras.* 46. Adverbia, En & Ecce.

Multa adverbia, loci, temporis, & quantitatis, regunt genitivum: ut, *ubi gentium. Tunc temporis. Parùm ſapientiæ.* 47. Adverbia temporis, loci, &c.

Adverbia diverſitatis, aliter, ſecus, ſic antè, pòſt, cum ablativo junguntur: ut, *Multò aliter. Paullò ſecus. Multò antè. Paullò pòſt.* 48 Adverbia diverſitatis.

49. In pro erga. Præpositio In pro *erga*, *contra*, *ad*, accusativum habet: ut, *In te benignus. In me crudelis. In urbem abiit. Sic findere in partes, crescere in horas. Verti in cineres dicimus.* Aliter *in* ponitur in ablativo: ut, *In domo. In templo.*

50. Sub pro ad. Sub pro *ad*, *per*, *ante*, accusativum habet: ut, *Ire sub umbram. Sub id tempus. Sub noctem.* Aliter ablativum regit.

51. Interjectio exclamandi. Interjectio exclamandi nominativum, accusativum, & vocativum habet: ut, *O festus dies! O vos felices! O formose puer!*

52. Heu, prô, hei, væ. Heu & prô nominativo aut accusativo adhærent: ut, *Heu pietas. Heu stirpem invisam.* Sed *hei* & *væ* dativo: ut, *Hei mihi. Væ misero.*

53. Conjunctiones copulativæ, &c. Conjunctiones copulativæ & disjunctivæ similes casus nectunt; sic an, quàm, nisi, præterquam: ut, *Ater an albus*, &c.

54. Pleræque conjunctiones junguntur, vel indicativo, vel subjunctivo, vel utrique modo; Exempla ubique occurrunt: sic dicimus, *Gaudeo quòd rediisti*, per indicativum. Et *gaudeo quòd redieris*, per subjunctivum.

De

De Prosôdiâ.

PRosodia est recta vocum pronunciatio secundùm tonum, acutum, aut gravem; secundùm spiritum, asperum aut lenem; & secundùm tempus longum quod sic -- notatur, aut breve, quod sic *v*. Tonus, spiritus, tempus.

Vox constat syllabis; syllabæ duæ, aut tres faciunt pedem. Pes in carmine Hexametro & Pentametro est vel dissyllabus ex duabus longis: ut, *Virtus*, vocatúrque Spondæus. Vel trissyllabus, ex longâ & duabus brevibus: ut, *Tityre*; & dicitur Dactylus, qui sic notatur -*vv*. Spondæus sic - -. Spondæus, Dactylus.

Carmen Hexametrum constat sex pedibus, quorum quidam sunt Dactyli, quidam Spondæi; sed pes quintus ferè semper est Dactylus, sextus Spondæus: ut, *Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi.* Quod carmen sic scanditur, seu mensuratur. Seu Heroïcum

-vv -vv -vv - - -vv - -
Tityre tu patu læ recu bans sub tegmine fagi.

Pentametrum constat quinque pedibus; nempe duobus Dactylis aut Spondæis, aut Dactylo & Spondæo cum syllabâ longâ, & duobus aliis semper Dactylis cum syllabâ itidem longâ: sícque mensuratur, Seu Elegiacum

-vv - - - -vv -vv -
Nil mihi rescri bas attamen ipse ve ni.

Synalæpha, Ecthlipsis, Synæresis, Diæresis.

Si in scandendo una vocalis eliditur ante alteram, dicitur *Synalæpha*: ut, *Vit' est*, pro *vita est*. Si *m* cum vocali suâ perit, Ecthlipsis: ut, *Monstr' horrend'*, pro *monstrum horrendum*. Si duæ syllabæ contrahantur in unum, Synæresis vocatur: ut, *alvaria* pro *alvearia*. Si autem ex unâ syllabâ fiant duæ, Diæresis: ut, *evoluisse* pro *evolvisse*.

Primarum syllabarum quantitas.

1, positio. VOcalis ante duas consonantes aut duplicem, semper longa est: ut, *Ve* in *ventus*; *x* in *axis*.

2. Vocalis ante vocalem in eâdem dictione semper est brevis: ut, *E* in *Deus*. Excipiuntur *unius, illius*, &c. *Ei* in *fio*; sic genitivi & dativi quintæ declinationis: præterquam *rei, spei, fidei*.

3. Diphthongus longa est, nisi sequatur vocalis: ut, *Præustus*.

4. Derivativa servant quantitatem primitivorum: ut, *Amicus*, brevem habet *a*; quia *amo* brevis est. *Excipe tamen* vōcis *à* vŏco, lēgis *à* lĕgo, rēgis *à* rĕgo, sēdes *à* sĕdeo, *&c.*

5. Composita servant quantitatem simplicium: ut, Sōlor consōlor. *Excipe* innŭba, pronŭba, *à* nūbo: dejĕro pejĕro, *à* jūro.

6. A, de, præ, se, è, præpositiones producuntur, nisi sequatur vocalis: *pro* longa

ga eſt, niſi in procellâ, &c. *Di* longa niſi in *dirimo*, *diſertus*.

Præteriti diſſyllabi prima longa eſt : Excipe *dedi*, &c. Sic prima præteriti geminati brevis eſt : ut, *pependi*. Supinum diſſyllabum longum. 7.

Autoritate Poëtarum maximè cognoſcitur quantitas ſyllabarum tam primarum, quàm mediarum. 8.

Ultimarum ſyllabarum quantitas.

Finita in A longa ſunt : Excipe *itâ*, *putâ*, *quia*, nominativos, & accuſativos, & vocativos in *a*. Numeralia in *ginta* producunt *a*. A.

B, D, T, brevia ſunt ; C longa : ſed *lac*, *nec*, *donec*, brevia. B.T.D, C.

E brevia ſunt : At *e* in ablat. quintæ declinat. & in adverbiis indè natis : ut, *Poſtridie à die*. Et ſecundæ perſonæ ſing. act. ſecundæ conjugat. Adverbia in *e* ab adjectivis, ut, *Pulcrè*, producuntur. E.

I finita longa : Excipe, *tibi*, *ſibi*, *ubi*, *ibi*, *niſi*, *quaſi*. I.

L finita longa : ut, *Mel*, *fel* ; excipe *nil*, *Sol*, & Hebræa in *l*. L.

N finita producuntur : ut, *Non*. Excipe *forſan*, *forſitan*, *an*, *tamen*, *in*, *exin*, *ſubin*, *dein*, *proin*, Apocopen patientia : ut, *men'* ; & quorum genitivus in *nis* breve deſinit : ut, *carmen*, *nomen*, &c. N.

O. O finita communia : Excipe obliqua in *o* : ut, *servo, templo.* Et adverbia *tantò, quantò*, &c. quæ semper longa. *Modò , quomodo , citò, ambo, duo, ego, homo* , brevia. Monosyllaba : ut, *do*, longa.

R. R corripitur : ut, *Vir.* Sed *cor , far, lar, ver, fur, cur, par, compar.* Et Græca in *er* : ut, *aër* producuntur. *Pater* & *mater* corripiuntur.

As. As producitur : ut, *Amas.* Sed Græca in *as* quorum genitivus in *dos* : ut, *Pallas Pallados.* Et accus. tertiæ declin. in *as* : ut, *heroas*, brevia.

Es. Es producitur : ut, *Sedes.* Sed *es* tertiæ declin. formans *itis* breve in genitivo : ut, *miles militis*, corripitur. Sic *es* à *sum* : ut, *ades.*

Is. Is corripitur : ut, *Panis.* Obliqui in *is* producuntur : ut, *templis* ; sic *quîs* pro *quibus* ; & dipthongi in *eis*, & monosyllaba : ut, *vis, lis.*

Os. Os producitur : ut, *Honos.* Excipe *compos, impos, os ossis* ; & Græca per *o* parvum : ut, *Delos, chaos.*

Us. Us corripitur : ut, *Tempus.* Sed quæ producunt penultimam genitivi crescentis : ut, *Salus salutis* ; & obliqui casus in *us* quartæ declin. (excepto vocativo singulari) longa sunt. Sic monosyllaba : ut *crus*; & Græca per *ous*: ut, *Panthus*.

U. U finita longa sunt : ut , *Genu , diu, amatu.*

Finis Grammaticæ Isagôges.

in
atò,
itò,
ut,

ar,
ut,

in
os.

iæ
les

is
&

n-
t,

o-
a-
n.
o-
s.
,